

est reti, in quo omnis generis pisces colliguntur. quorum in littore demum, hoc est in fine mundi fiet segregatio, Matth. 13, 47. Apostolus Paulus in magna domo, quae est Ecclesia, non modo aurea & argentea vasa, sed & lignea ac fictilia: & alia quidem in honorem, alia in ignomiam reperiri docet, 2. Tim. 20. Ecclesia denique est area illa, in qua sic collectum est triticum, ut admixtae sint & paleae, nondum ventilabro ab illo separata Matth. 3, 12.

98. Factum hinc est, ut in scholis Theologorum, pro distinctis haberentur phrasibus, Esse in Ecclesia, & esse de Ecclesia.

99. Nam in vera Ecclesia sunt mali & hypocritae: in falsa Ecclesia sunt boni & verè pii: sed neutri sunt de ea Ecclesia, in qua sunt: sed utrique in ea, de qua non sunt; ac proinde partes quidem, sed non membra Ecclesiae, in qua sunt dici possunt.

100. Quòd verò toti isti cœtui, sanctitatis elogium adscribitur, id fit per synecdochē scripturis valdè usitatam: quia cœtus vocatorum est officina Sanctificationis piorum: & in hoc cœtu semper sunt, qui verè sunt Sancti.

101. Haud secus ac acervus triticeus, nondum vanno & cribro sive ventilabro à paleis repurgatus, dicitur nihilominus acervus triticeus, facta denominatione à potiori & præstantiori ejus parte.